

libet precepto // et non ultra; et si fecerint aliquod preceptum 69 A  
 ex parte iudicum civitatis ad petitionem alicuius, si infra con-  
 fines precipere, duos par. recipere et habere et non ultra, si  
 extra confines, quatuor par. tantum pro quolibet precepto, et  
 5 de dictis preceptis rectam relationem facere; et si ibunt ad  
 precipiendum alicui in valle Mucho, recipere quatuor sold. par.  
 pro quolibet preconone et quolibet precepto, et hoc de valle Mu-  
 cho usque villam et in villa Prosechi, et abinde ultra duos  
 grossos et non plus, etiam pena quadraginta frx. ¶ Quibus  
 10 preconibus et cuilibet ipsorum adhibeatur fides de rebus mobi-  
 libus per ipsos venditis ad incantum secundum formam sta-  
 tutorum a libr. vigintiquinque par. inferius. ¶ Et non ire cum  
 ambaxatoribus potestarie ad presentandum potestariam alicui  
 electo in potestatem. ¶ Et non ire in vindemiis cum seticulis  
 15 per civitatem pro vino, nec petere vel ire querendo, in sero  
 nativitatis circumcisionis et epiphanye, vel aliquo ipsorum, vel  
 in mane dictarum festivitatum,<sup>1)</sup> aliquid ab aliqua persona,  
 preterquam ab officialibus et a consiliariis maioris consilii,  
 etiam pena viginti sold. par. ¶ Et quodcumque fiet maius  
 20 consilium vel <sup>2)</sup> consilium rogatorum, stare saltem duo ex  
 ipsis super scalis palatii continue, donec fuerit completum, et  
 nullum permittere ascendere, qui non esset de dicto consilio  
 vel de familia domini potestatis aut vicarii, etiam pena quin-  
 que sold. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta, sine  
 25 remissione incontinenti solvenda, quam dominus potestas exi-  
 gere teneatur sacramento. ¶ Et portare piscides in maiori con-  
 scilio quando fiunt officiales // comunis et dare balotas, ac etiam 69 B  
 quando aliqua petitio balotaretur in dicto maiori consilio, et  
 in aliquo alio consilio non interesse modo aliquo. ¶ Item  
 30 recipere a quacunque persona exeunte de basta vel de carce-  
 ribus, que steterit uno die, unum sold. tantum, et si steterit  
 ultra unam diem infra octo dies duos sold. tantum, et si ste-  
 terit ultra octo dies quatuor sold. par. tantum pro qualibet  
 35 possit ultra dictum precium. ¶ Item recipere pro qualibet

<sup>1)</sup> festinitatum. <sup>2)</sup> vel consilium aggiunta marginale.